



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1707

Q. 41. An in simonia detur parvitas materiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42515

quando enim interrogatur, semper declarat ejusmodi facta esse simoniaca, imò rarissimè dispensat, sed præcipit dimitti beneficia & restitui omnes fructus perceptos.

Q. 40. *Quid censeri debeat in dubio.* R. §. I. 195

Si probabile sit Simoniam non intervenisse, non est, quòd aliquis sibi scrupulum faciat, tum quia sequi potest probabilem, tum etiam, quia est in possessione suæ innocentia, quam adhuc præsumere potest, quamdiu non rescit se nocentem, unde rectè docent *Zypæus* aliique cum *Dian. P. 6. T. 8. R. 17.* quamvis secundùm Jus etiam ille sit Simoniacus, qui non intelligit se illicitum agere, si re ipsa committatur simonia, tamen qui processit ex autoritate Doctorum, excusatur à culpa & pœna. Vide dicenda à num. 204.

§. 2. Si verum sit dubium, an commissa sit Simonia nec ne, v.g. scis datos esse centum imperiales, sed nescis, an dati sint cum pacto aliquo aut gratis vel alio licito titulo, nec habes prudens motivum pro alterutra parte judicanda, in tali dubio poteris præsumere non intervenisse Simoniam, quia delicta non præsumuntur, & innocentia est in possessione, donec probationes claræ & convincentes afferantur, ita *Suar. Pirh. L. 5. T. 3. n. 132.* Tamb. in Dec. L. 1. c. 3. §. 7. v. *Simoniam.*

§. 3. Ubi verba sunt dubia, Ecclesia præsumit simoniam, è contrà ubi verba sunt dubia, Jus civile non præsumit Usuram, disparitas esse potest, quòd Usura non sit ita communis, & habeat plures titulos excusantes, Simonia autem nunc sit communissima, nec sint tituli tales excusantes.

Q. 41. *An in simonia detur parvitas materia.* 198

R. Affirmat *Alloza v. Simonia Sect. 4. n. 29.* Item *Molin.* dicens, quòd ad mortale furtum sufficit,

non semper sufficere ad mortalem Simoniam : sequuntur *Regin. Merol. Gord. apud Dian. P. 5. T. 5. R. 2.* uti (secundum omnes) datur in Sacrilegio, v.g. in modico furto rei sacræ ; sed oppositum dicit esse certum *Haunold. de Just. T. 6. T. 2. n. 559.* ideoque communiter AA. negant in Simonia parvitatem materiæ, *Suar. c. 3. à n. 5. Sanch. hic L. 1. c. 4. n. 1. Illung T. 5. n. 313.* quod verum est de Simonia Juris naturalis (de Simonia Juris Ecclesiastici dicitur *Lib. IV. n. 632.*) Ratio est, quia parvitas non potest provenire ex vilitate ipsius rei spiritualis, quantumcunque enim videatur exigua, est tamen ordinis supremi, tendens ex natura sua ad supernaturalem Dei possessionem, ergo est gravis irreverentia eam pretio temporali veluti proportionato & æquali æstimare, cum hoc pretium sit infinites vilius : neque potest provenire ex parvitate pretii, quia quò minus est pretium, eò minor est æstimatio rei spiritualis, pro qua offertur tam exiguum pretium : idem confirmat *Rayn. L. 2. Sect. 1. c. 3* ; quantum autem sit scelus Simonia, satis colligitur ex *c. Per tuas literas, 32. de Simonia,* ubi *Innocentius III.* ait, ceteras exceptiones, ut furti, adulterii, propter immanitatem hæresis simoniacæ, ad cujus comparationem cætera crimina quasi pro nihilo reputantur, duximus repellendas : Similia habenter *caus. 1. q. 1. Eos qui.* Ideoque *Paulus II.* Extravag. 2. de Simonia, meritò vocat detestabile scelus : *Concilium Lateranense Cap. Cam in Ecclesia, 9.* de Simonia, vocat horribile nimis. Eandem malitiam Simonia per multa capita sequentia depingit *Raynaudus* ; denique *c. 6. & 7.* refert exempla plurima Simonia à Deo gravissimè punitæ.

ARTI-